



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||

Molanus, Johannes

Antverpiae, [1592]

De sacra militia Baldvini de Burgo, tertij Regis Ierosolymorum, consobrini
priorum Regum. Cap. LII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38114

*De sacra militia BALDVINI Regis Ierosoly-
mitani, qui frater fuit Godefridi Bullonij
Ducis Lotharingie.*

C A P. L I.

*Frater Go-
defridi Ducis
& Regis Ie-
rosolym.*

GODEFRIDO itaque in regno successit
Balduinus frater, Comes Edeffanus qui
occuparat iam ante Ciliciam, Comagenam,
& Mesopotamiam. Est autem Edeffa, vnde
titulum Comitis habuit, Comagenæ ciuitas,
quæ Rages dicta est in historia Tobia: hodie
Orphæ nomen obtinet.

Balduinus itaque ad regnum euectus, ces-
sit Edeffam Balduino de Burgo consobrino,
& Antipatridem, Cæsaream, Ptolemaidem,
Tripolim, & Berytum vi expugnatas regno
adiecit, edita ingenti Sarracenorum strage.
Expugnatae etiam sunt, Apamea & Laodi-
cea, Syriae vrbes, & Carræ Mesopotamicæ ex
Abrahe historia notæ, † Tauredo & Raimun-
do Tolosano Ducibus. Decessit autem Bal-
duinus anno CIO. C XVIII. postquam re-
uersus esset ex Ægypto, capta insula Pharo.

† al. Tan-
credo, qui fuit
Apulie Prin-
ceps.

*De sacra militia BALDVINI de Burgo,
tertij Regis Ierosolymorum, consobrini
priorum Regum.*

C A P. L I I.

*Consobrinitus
Godefridi
Ducis Bra-
bantie &
Hierosolym.
Regis.*

TERTIVS regnum Ierosolymitanum pos-
sedit Balduinus de Burgo consobrinitus
priorum Regum, qui aliquot magnis prælijs,
EX VNA

ex vna parte Turcos, qui Damascum tenebant; ex altera Sarracenos Ægyptios depulit. Expugnauit Tyrum, & postea Raphaneas in Cassiotide. Decessit anno regni x i i i.

Hoc Rege institutus est Ierosolymis ordo equestris sacrae militiae, initio à professione S. Ioannis nomen adeptus, qui postea equitum Rhodiorum nomine celebrior notiorque euasit: ac nunc, Rhodo amissa, Melitæ seu Malthæ insulae angustias tuetur.

De sacra militia Comitum aliquot Flandria in Syria & Oriente, qui fuerunt Ducum Brabantia cognati.

APPENDIX.

QVVM aduersus Sultanum à Belgis Godefrido Duce in Syria bellum gereretur; multum verae gloriae Robertus i i. Roberti Frisij filius, Flandriae Princeps, meruit; Artasiam, Turcis ex vrbe profligatis, praelioque superatis affecutus. Deinceps cum intolerabili rerum omnium penuria, Christiani, qui Antiochiam obsidebant, laborarent; vnà cum Boemundo Tarentino latissime in hostilem agrum progressus, tantam vini, pecoris, atque tritici copiam in castra reportauit, vt ingentibus acclamationibus exciperetur. Et ad expugnandam Ierosolymam profectus, à Septemtrione proximus Godefrido Bullonio ingressus urbem, extremo voto satisfecit, quo loco ipse pater religione se prius exsoluerat.

*Robertus
Zolymus.*

*Ex Marcha-
tio de rebus
Flandriae.*

F 5

Deinde

Theod. Al-
fatius.

Deinde Theodericus Alfatus, Roberti Solymi auunculi exemplo inductus, quater cum exercitu in Palæstinam delatus, in primis Fulconi focero, bis Balduino, semel Americo Solymorum Regibus auxilium tulit.

Philip. Al-
fatius.

Philippus autem patris vestigia imitatus, illuc religionis ergo initio profectus, à Balduino Rege Fulconis pronepote magnopere rogatus, Areten urbem in finibus Antiochiæ cum ceteris obsedit. Sed nullum factum est, propter discordiam & luxum Christianorum, operæpretium. Hic in obsidione Ptolemaidis grassante peste extinctus fuit.

Balduinus
Byzantius.

Postea Balduinus qui Flandris Hannibulique iura præscripsit, cum destinatis in Syriam armis, Venetiis ageret, euenit ut illa expeditione postposita, Constantinopolis obsessæ & sociorum auxilijs Isaacio Myrtilo ereptæ Imperium, quindecim electorum consensione assequeretur. Sed à Valachis Seruiisque in Adrianopolis oppugnatione interceptus, membratimque Ceruoæ dissectus, anno Imperij Byzantini 11. vitam finiit. Ab illo rerum in Græcia potiti fuerunt Henricus frater: deinde Iolanda soror, quæ ad Robertum filium, & Balduinum ex eo nepotem, Imperium transtulit.

Robertus Be-
thunius.

Ad vltimum Robertus Bethunius cum pater in viuis esset, & Gregorius x. publicè huc incitaret, vnà cum Eduardo Britannia Rege in Syriam deuectus, & Zaphadinio Ægyptio

Ægyptio cum fratre interfectis, magnam laudem adeptus est.

De sacra militia HENRICI Comitis Limburgensis, & Ducis Lotharingia.

CAP. LIII.

GODEFRIDVS Dux Lothariensium, & Princeps Ierosolymitanorum, moritur. xiv. & ultimus beneficiarius Brabantia Dux.
Balduinus frater eius in regno ei succedit anno c. c. Deinde, anno primo Henricus Imperator, Henricum Limburgensem sibi adversantem debellat; & expugnatis eius castris, eum ad ditionem coëgit. Sed Imperator ei multa summa gratiam suam redimit: etiam Ducatum Lotharingia donat.

Hic sacrum bellum habuit contra Henricum IV. ad quod etiam filium Imperatoris pertraxit. Sed cum postea ad patrem à filio deficeret, prioris meriti gloriam omnem obsecravit, & perdidit. Ducatum quoque suum amisit. Anno enim c. c. vi. Henricus de Limborch Dux, ut reus læsæ maiestatis ab Henrico Imperatore V. custodia traditur, & Ducatus eius, iudicio principum aulae Imperialis, ei abiudicatur, & Godefrido Comiti de Louanio in perpetuum possidendus ab eodem Imperatore traditur. Anno sequenti, Sigeberto teste, Henricus exdux affectans repetere Ducatum, oppidum occupat Aquigranense contra Godefridum Ducem: sed hoc non ferens Godefridus, in oppidum Aquense vi irrumpit, oppidanos à facie Henrici